



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vita Et Doctrina Christi Domini

More, Henry

Antverpiae, 1649

XXIV. De Attributis Spiritus sancti. Io. 14. 16.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56545](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56545)

268 MYSTERIA RESURRECT.

dixerunt, Tu Domine qui ⁴corda nostri om-
nium ostende, &c. Hic solemnis piorum
omnium usus, ad Deum in omnibus
per preces recurrere; ille solus modera-
tur omnia, & dirigit euentus quò hu-
mana cogitatio non pertingit; nouit
enim corda omnium, & reliquas cir-
cumstantias.

4. Et cecidit ¹ fors super Mattheam, &
² annumeratus est cum undecim. Gratias
Coloff. 1. 12 age Deo Patri quò dignum te fecit in par-
tem sortis sanctorum, in lumine, qui eri-
puit te de potestate tenebrarum, & trans-
tulit in regnum filij dilectionis sue, in quo
habemus redemptionem, & remissionem
peccatorum. In iis quæ sorte videntur
euenire, adora Dei consilium & prou-
dentiam.

XXIV.

De Attributis Spiritus sancti. Io. 14. 16.

In vigilia
Pentecostes.

1. EGO ¹rogabo Patrem & alium ³Pa-
racletum dabit ³vobis, ut ⁴maneat
vobiscum in aeternum, spiritum ⁵verita-
tis, quem ⁶mundus non potest accipere, quia
non ⁷videt eum, nec ⁸scit eum. Igitur est
Paracletus, hoc est consolator, & Aduo-
catus:

carus: & quam consolationem poterant expectare Apostoli à Christo, hanc a Spiritu S. non utique inferiore, expectare docetur, opera & oratione Christi.

2. Est nobiscum mansurus in æternum, Assistendo, immanendo, sanctificando, roborando, & quia est

3. *Spiritus veritatis*, docendo, non friuola, non inania, sed *omnem veritatem*, fallacias mundi, dæmonis, & carnis detegendo, & dando spiritum, ut veritati potius quàm mēdacio adhareamus.

4. Infelix mundi conditio, quod eum *non potest accipere*; sed mundi culpa, quia plenus est mundus sordibus, oppletus curis & desideriis terrenis: hæc causa est cur *non videt eum, neque scit eum*: captus scilicet oculis splendore, vel ofuscatione potius rerum terrenarum. Ille enim cælestis est spiritus & incontaminatus.

5. *Non loquetur à semetipso, sed quaecumque audiet loquetur*: scilicet non est inuentor nouitatum, sectator curiositatum, sed *quæ ventura sunt annuntiabit vobis*; quæ sanè non mediocri momenti sunt præsentibus.

Io. 16. 13.

270 MYSTERIA RESURRECT.

6. Denique non inferioris est beneficij quod sequitur, *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Quid enim amplius desiderare possumus, quàm vt Christi Domini dignitatem, meritum, gloriam agnoscamus, & diligamus, quæ vnica est via ad nostrum meritum & gloriam. *Veni sancte Spiritus & emitte Cœlitus, &c.*

XXV.

Aduentus Spiritus S. in linguis igneis.

Act. 2. Pars I.

1. **D**Um complerentur dies Pentecostes, erant¹ omnes pariter in eodẽ loco, iuxta præceptum scilicet Domini expectantes promissum spiritum, atque interim perseverantes in oratione: & factus est² repente de Cœlo sonus tanquam aduentantis spiritus³ vehementis. hoc ipsum quod repente, indicat perseverantiam quàm fuerit necessaria, & sic omnibus, & in omnibus, nescimus enim qua hora Dominus venturus sit, in oratione, aut lectione, aut actione, &c. Et repleuit⁴ totam domum ubi erant⁵ sedentes. Vt figura responderet veritati, domum verò intel-